verborum ornatu sed de auro commodo et effectu
Quod quidem opusculum ad vos qui estis sacrosancte
ecclesie luminaria preclara qui lucetis velut
lucerna in firmamento ecclesie militantis Cum
radio divine sapiencie exemploque vite sanctissime
ac baculo correctionis caritative subditos
vestros illuminatis et purgatis duxi humiliter
destinandum. ut lima correctionis vestre politum
prodeat in publicum quod sine illa prodire non
audet Suscipiatis vobis igitur precatur cum affectu
benivolo presens opusculum quod offert humili-
tas committat affectio ac caritas persuadet
correctum quod et emendatum si vestre discretioni
videtur communicare cum curatis neophitis ut
qui nesciunt addiscant et qui scire sciunt se
gaudeant et ad maiora conscendant. Vestram
reverendam personam conservet dominus ecclesie
sancte sue diu cui humiliter me commendo Scriptum
Turoli Anno domini M.ccc.xxxiiij. Incipit prologus

Quoniam secundum quod dicit propheta Malachias
ymo dominus per malachiam. Labia sacer-
dotis custodiunt scientiam et legem requirent
de ore eius quia angelus domini exercituum
est Periculo ne sacerdotibus legis evan-
gelice contingat id quod dominus quondam sacerdoti
legis mosayce per Osee prophetam comminatur
dicens Quia tu scienciam repulisti. et ego
repellam te ne sacerdocio fungaris michi
Dignum duxi aliqua ad instructionem neophitorum

ſacerdotum maxime curatorum ſcribere et deo
debite miniſtrare Memor autem de preſumpcionis
temeritate me iudicet quod ego pecor ignorans
et inſcius preſumam ſacros ſacerdotes qui ſac
legibus confeſſores ſunt inſtruere Confiſus enim
de illius adiutorio qui ora mutorum aperit
et linguas infancium facit diſertas ſimilis
paruo caniculo qui latratu ſuo magnos le-
porarios incitat ad currendum Temptabo
aliqua breuiter ſcribere ut deinde magis
competentibus et peritioribus materia alciora
et ſubtiliora et magis utilia conſcribenda
Confido enim quod ille qui dedit aſine Ba-
laam loquelam. in ſue racionabili creature
infundet ſciam Nec erubeſcat venerabi-
les ſacerdotes a me cordum ſuitore minimo
edoceri Sed conſiderent illud verbum
doctoris ~~epm~~ eximii Augustini quod ponitur
in decretis Ego iam ſenex et ſexagin-
ta annorum etatis non erubeſcerem a pue-
ro aniculo edoceri, Licet enim ut dicit Se-
neca verecundoſum ſit ſenes addiſcere
Tamen magis verecundoſum eſt eos ignorare
Quoniam autem quilibet ſi vult ſuum officium
debite exequi. debet ſcire ea que ad ſuum of-
ficium expectant Officium autem ſacerdotum
maxime curatorum conſiſtit in quatuor ſecundum
quatuor ethymologias iſtius nominis ſacerdos
que habentur a damaſceno Prima ſacerdotes

ſunt miſſarum celebratores · Ideo dicitur ſacer-
dos quaſi ſacra dos · ſacramentorum miniſtra-
tores Et ideo dicitur ſacerdos quaſi ſacra dans
Confeſſionum auditores · Ideo dicitur quaſi ſa-
cer dux plebis doctores · et ideo dicitur ſa-
cerdos quaſi ſacra docens Ergo propter primum
debent habere tantum de ſciencia quod ſciant recte
et diſtincte legere et congrue pronunciare
et accentuare · et ad minus gramaticaliter
intelligere ea que in miſſe officio continentur
Propter ſecundum debent habere tantum de ſciencia quod ſciant
numerum ſacramentorum et que ſit debita forma et
debita materia cuiuslibet ſacramenti et modum
ea debite miniſtrandi potiſſime de ſacramentis
que ad eos ſpectant · Propter tercium debent habe-
re tantum de ſciencia quod ſciant diſcernere inter lepram
et lepram id eſt peccatum et peccatum et impo-
nere penitencias ſalutares · Propter quartum debent
habere tantum de ſciencia quod ſciant ad minus populum
in articulis fidei et aliis rudimentis fidei
informare Omiſſo autem primo quia illud ſpec-
tat ad gramaticam et ſatis ſuppono quod ſecundum
Epiſcopus nullum ad ſacerdocii ordinem promoveat
niſi ſufficienter fuerit in gramaticalibus infor-
matus Et quia eciam de hoc agetur quando de ſa-
cramento Eukariſtie et tribus aliis in hoc
libello eſt agendum Quem libellum volui vo-
cari Manipulum curatorum eo quod ſacerdotes

potissime curati debent istum libellum portare in manibus ut videant ea que circa sium officium sunt agenda Incipit libellus qui dicitur manipulus curatorum qui habet tres partes

Dividitur ergo presens opusculum in tres partes In quarum prima agitur de sacramentis et de hiis que pertinent ad sacramentorum administrationem In secunda de penitentiis et hiis que pertinent ad confessionum audientiam et penitentiarum impositionem In 3a de fidei articulis et hiis que pertinent ad populi informationem Incipit prima pars libri

Quantum ad primam partem primo videbuntur aliqua de sacramentis in generali Secundo de quolibet eorum in speciali Tercio de sacramento Eukaristie Quarto de sacramento penitentie Quinto de sacramento ordinis Sexto de sacramento extreme unctionis Septimo de sacramento matrimonij Tractatus primus

Quantum ad sacramentum de sacramentis in generali primo videndum est de eorum institutione Secundo de eorum efficacia et virtute Tercio de eorum numero et distinctione

Capitulum primum de institutione sacramentorum

Sciendum ergo quod omnia sacramenta nove legis fuerunt immediate instituta a Ihesu Christo Secundo probant doctores sic illius est sacramenta alicuius legis instituere